

quamvis cognitio illa discentis exigua sæpe sit & obscura: illud ipse observare voluit de sapientiâ tractaturus: ἔχει γὰρ ἕκαστος (inquit) οἰκῆιον τι πρὸς ἀλήθειαν, ἐξ ὧν ἀναγκάσιον δεικνύναι πως περὶ αὐτῶν. lib. 1. Eudem. cap. 6. Vid. l. 1. Post. Anal. c. 1. & 2. Lib. 1. Ethic. c. 2. vel 3. lib. 7. Metaph. cap. 4. l. 1. Physic. c. 1.

§. 2. Solet autem id, quod cum addito dicitur tale, interdum notius esse eo, quod absolute tale dicitur, hinc Philosopho non est insolens doctrinam suam ab illis inchoare, quæ cum addito talia dicuntur, vel ex hisce discentem deducere in cognitionem ejus, quod absolute tale dicitur: ita explicatur quis dicatur incontinens iræ, honoris, lucri &c. ut facilius cognoscatur, quis sit absolute dictus Incontinens, lib. 7. Ethic. c. 6. Ita ex virtute citharœdi, ex virtute oculi, equi &c. explicatur natura virtutis humanæ s. absolute dictæ. lib. 1. Eth. c. 6. & l. 2. cap. 5.

§. 3. Non absimili modo investigaturus & aliis monstraturus Aristoteles, quæ sit Sapiencia absolute ita dicta primùm explicat, quinam dicantur Sapientes cum addito. lib. 6. Ethic. cap. 7. lib. 1. Meth. cap. 1. ex quâ doctrinâ sequentem elicio processum: Sapiens in certo genere is dicitur, qui ita excellit in cognitione aliquâ, ut cognitionis illius causas assignare possit. E. g. Sapiens pictor & sapiens statuarius is dicitur, qui artis suæ causas reddere novit, eodem modo in aliis artibus multis. Vocabulum autem Sapientis & Sapientiæ apud Græcos crebrò ita usurpatum fuisse constat, tum ex locis citatis, tum ex Platone in Theage & ex Marsilio. Ficino interprete ejus in præfatione in Dialog. citat & ex Xenophonte, in memorabilibus Socratis, ubi Socrates, contra Aristodemum probare conatur esse,
DEUM